MASTER NEGATIVE
NO. 93-81317-24

AUTHOR:

HARTLIEB, ERIC

TITLE:

DE NONNULLIS VOCIBUS INDECLINABILIBUS...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1921

Master Negative #

93-81317-24

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hartlieb, Eric, 1899-
De nonnullis vocibus indeclinabilibus (pondo, quodsi, adversus) Dissertatio inauguralis philologica quam ... scripsit Ericus Hartlieb ... Vratislaviae, typis Societatis typographorum Vratislaviensium, 1921.
50 p. 22 cm.

Thesis, Breslau, 1921.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 4/22/93 INITIALS: [illegible]
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



De nonnullis vocibus indeclinabilibus (pondo, quodsi, adversus).

Dissertatio inauguralis philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis ad summos in philosophia honores in Universitate Friderica Guilelma Silesiaca rite impetrandos scripsit

Ericus Hartlieb
Silesius.

Promotio habebitur die II mensis Julii anni MCMXXI.

Vratislaviae 1921.
Typis Societatis Typographorum Vratislaviensium.

Gedruckt mit Genehmigung der Hohen philosophischen Fakultät der Universität Breslau.

Referent: Prof. Dr. W. Kroll.

Das Examen rigorosum fand am 25. Mai statt.

Die Dissertation erscheint wegen der überaus hohen Druckkosten in gekürzter Form.

Conspectus libelli.

Exordium.

Ad quaestionem, quam tractabo, adductus sum Krollio auctore, qui mihi suasit, ut in ea indeclinabilia inquirerem, quae initio nominum vel pronominum casus fuerunt.

Ex hoc vocabulorum genere tres voces elegi,

‚pondo' substantivum indeclinabile,
‚quodsi' coniunctionem,
‚adversus' praepositionem,

quarum originem, significationem usumque perpenderem atque indagarem.

Qua de causa rem peragendam sic dispertivi, ut primo quoque loco ostenderem haec indeclinabilia initio nominum vel pronominum casus fuisse, altero exquirerem, quo modo quandoque illae formae quasi obriguissent, ultimo de indeclinabilium vi atque usu nonnulla proferrem.

In appendice autem cetera huiusmodi indeclinabilia enumerabo, atque eo ordine utar, ut singulos deinceps casus pertractem.

Haud inutile fore id, quod suscepi, spero propterea, quod in compendiis artis grammaticae haec vocabula breviter tractantur interdumque rationes traduntur obsoletae.

Cap. I.
Pondo.

Libri, qui mihi usui fuerunt:

Thomae Ruddimanni „Institutiones Grammaticae Latinae"
I p. 116.
Neue-Wagener I[3] p. 867.
A. Sloman: Constructions in connexion with ‚pondo'.
Classical Review XVI (1902) p. 317.

---

a. Quomodo ,pondo' obriguerit.

,Pondo' a grammaticis in monoptotorum vel indeclinabilium numero referebatur [cf. Charis. art. gramm. 1, 12 p. 22 (I 35, 21 et 28)] atque eandem vim quam ,libra' habebat.

Sed iam Gronovius pater (de pec. vet. I 6 sequ.) hanc vocem nihil aliud nisi ablativi formam esse cognovit: veteres enim ,pondus, -i' declinasse, ceterisque casibus abrogatis ablativum solum remansisse.

Quod quam verum sit, paucis, si placet, videamus.

Ac primum quidem nonnulla exempla, e quibus ablativus intellegi potest, inveniuntur:

Plaut. Men. 541 „inauris da mihi faciendas pondo duom nummum stalagmia". Nos: „Ohrgehänge von zwei Nummi an Gewicht, zwei Nummi schwer." cf. Caes. b. G. III 13, 4 „transtra . . . . confixa clavis ferreis digiti pollicis crassitudine". „Von einem Daumen Dicke, einen Daumen dick."

Multo saepius ille ablativus vocibus assis, librae, unciae similium apponitur. cf. Plaut. Men. 526 „huc ut addas auri pondo unciam" i. e. „an Gewicht eine Unze Gold". Rud. 913 „neque piscium ullam unciam hodie pondo cepi".

Pseud. 816 „eo laserpici libram pondo diluont".

Sed nescio an propterea, quod ,pondo' saepissime cum vocabulo librae copulabatur, factum sit, ut hoc vocabulum paulatim omitteretur (ut nos quoque in sermone quotidiano dicimus: „Er ist 130 (scil. Pfund) schwer").

Huius rei vel illustrissimum exemplum hoc loco invenias:

fragm. duod. tab. (III 3, 4 Schöll; Bruns ,Font. i. R.' I[7] p. 21) ex Gell. N. A. XX 1, 45:

„Vincito aut nervo aut compedibus XV pondo, ne maiore aut si volet minore vincito." „Er soll mit einem Strick oder mit Beinschellen von 15 Pfund Gewicht gefesselt werden, mit keinem größeren oder auf seine Bitten hin geringeren soll er gefesselt werden."

Nam hoc loco librae vocabulum omissum esse opinari licet, quod voces ,maiore' et ,minore' cum ablativo singularis ,pondo' optime congruunt.

De hoc vocis ,pondo' usu unum antiquorum testimonium nobis traditum est Festi (in Pauli ep. p. 59) „centenas pondo dicebant antiqui referentes ad libras".

Postea vocabulum librae omitti iam non cognoscebatur; nam ,pondo' ablativum esse e memoria excesserat, praesertim cum pro ceteris vocis ,pondus-i' casibus vetustissimis temporibus vocis ,pondus-ĕris' casus substituti essent.[1])

Jam ,pondo' prorsus obriguit, ita ut vocabulo librae in aequo poneretur et per omnes casus ambosque numeros usurparetur; nimirum non declinabatur.

Atque eo facilius hic ablativus obriguisse videtur, quod antiquitus vocabula exstabant, quae in eandem vocalem exierunt, velut maxime numeralia (ambo, duo, octo).

Propriam igitur vocis ,pondo' vim non iam intellectam esse his exemplis demonstratur, in quibus huic vocabulo numeralia neutrius generis attributa sint:

Liv. XXVII 10, 12 „inde quingena quinquagena pondo data consulibus".

Liv. XXXVI 40, 12. Liv. XXXIX 29, 6.

Liv. XLIV 14, 2 „gratiae ab senatu actae muneraque missa, torquis aureus duo pondo et paterae aureae quattuor pondo".

Liv. XXVII 4, 9 „iis quoque quae darentur portata, togae praetextae et terna pondo paterae aureae".

Et hic locus et superior saepe falso illustrabantur. Gronovius enim coniecit „ternas (scil. libras) pondo"; alii, ut Neue et Sloman, et ,duo pondo' et ,terna pondo' accusativos putant; Georges hunc locum sic explicat: „ternā (sc. librā) pondo." Potius vero nominativi existimandi sunt. Primum enim genetivus ,librarum' intellegebatur: ,paterae aureae quattuor (librarum) pondo.' Postquam ,pondo' prorsus obriguerat, genetivus iam non cognoscebatur (nam non modo substantivum ,pondo' sed etiam omnia fere numeralia non declinabantur); nunc ,quattuor pondo' ,quinque pondo'

[1]) cf. Walde s. v. pondus-eris: „Vermischung eines -es-St. *pendos-, eris mit einem o-St. *pondo-s, von dem das indecl. pondō."

a. Quomodo ‚pondo' obriguerit.

‚Pondo' a grammaticis in monoptotorum vel indeclinabilium numero referebatur [cf. Charis. art. gramm. 1, 12 p. 22 (I 35, 21 et 28)] atque eandem vim quam ‚libra' habebat.

Sed iam Gronovius pater (de pec. vet. I 6 sequ.) hanc vocem nihil aliud nisi ablativi formam esse cognovit: veteres enim ‚pondus, -i' declinasse, ceterisque casibus abrogatis ablativum solum remansisse.

Quod quam verum sit, paucis, si placet, videamus.

Ac primum quidem nonnulla exempla, e quibus ablativus intellegi potest, inveniuntur:

Plaut. Men. 541 „inauris da mihi faciendas pondo duom nummum stalagmia". Nos: „Ohrgehänge von zwei Nummi an Gewicht, zwei Nummi schwer." cf. Caes. b. G. III 13, 4 „transtra . . . . confixa clavis ferreis digiti pollicis crassitudine". „Von einem Daumen Dicke, einen Daumen dick."

Multo saepius ille ablativus vocibus assis, librae, unciae similium apponitur. cf. Plaut. Men. 526 „huc ut addas auri pondo unciam" i. e. „an Gewicht eine Unze Gold". Rud. 913 „neque piscium ullam unciam hodie pondo cepi".

Pseud. 816 „eo laserpici libram pondo diluont".

Sed nescio an propterea, quod ‚pondo' saepissime cum vocabulo librae copulabatur, factum sit, ut hoc vocabulum paulatim omitteretur (ut nos quoque in sermone quotidiano dicimus: „Er ist 130 (scil. Pfund) schwer").

Huius rei vel illustrissimum exemplum hoc loco invenias: fragm. duod. tab. (III 3, 4 Schöll; Bruns ‚Font. i. R.' I [7] p. 21) ex Gell. N. A. XX 1, 45:

„Vincito aut nervo aut compedibus XV pondo, ne maiore aut si volet minore vincito." „Er soll mit einem Strick oder mit Beinschellen von 15 Pfund Gewicht gefesselt werden, mit keinem größeren oder auf seine Bitten hin geringeren soll er gefesselt werden."

Nam hoc loco librae vocabulum omissum esse opinari licet, quod voces ‚maiore' et ‚minore' cum ablativo singularis ‚pondo' optime congruunt.

De hoc vocis ‚pondo' usu unum antiquorum testimonium nobis traditum est Festi (in Pauli ep. p. 59) „centenas pondo dicebant antiqui referentes ad libras".

Postea vocabulum librae omitti iam non cognoscebatur; nam ‚pondo' ablativum esse e memoria excesserat, praesertim cum pro ceteris vocis ‚pondus-i' casibus vetustissimis temporibus vocis ‚pondus-ĕris' casus substituti essent.[1])

Jam ‚pondo' prorsus obriguit, ita ut vocabulo librae in aequo poneretur et per omnes casus ambosque numeros usurparetur; nimirum non declinabatur.

Atque eo facilius hic ablativus obriguisse videtur, quod antiquitus vocabula exstabant, quae in eandem vocalem exierunt, velut maxime numeralia (ambo, duo, octo).

Propriam igitur vocis ‚pondo' vim non iam intellectam esse his exemplis demonstratur, in quibus huic vocabulo numeralia neutrius generis attributa sint:

Liv. XXVII 10, 12 „inde quingena quinquagena pondo data consulibus".

Liv. XXXVI 40, 12. Liv. XXXIX 29, 6.

Liv. XLIV 14, 2 „gratiae ab senatu actae muneraque missa, torquis aureus duo pondo et paterae aureae quattuor pondo".

Liv. XXVII 4, 9 „iis quoque quae darentur portata, togae praetextae et terna pondo paterae aureae".

Et hic locus et superior saepe falso illustrabantur. Gronovius enim coniecit „ternas (scil. libras) pondo"; alii, ut Neue et Sloman, et ‚duo pondo' et ‚terna pondo' accusativos putant; Georges hunc locum sic explicat: „ternā (sc. librā) pondo." Potius vero nominativi existimandi sunt. Primum enim genetivus ‚librarum' intellegebatur: ‚paterae aureae quattuor (librarum) pondo.' Postquam ‚pondo' prorsus obriguerat, genetivus iam non cognoscebatur (nam non modo substantivum ‚pondo' sed etiam omnia fere numeralia non declinabantur); nunc ‚quattuor pondo' ‚quinque pondo'

[1]) cf. Walde s. v. pondus-eris: „Vermischung eines -es-St. *pendos-, eris mit einem o-St. *pondo-s, von dem das indecl. pondō."

nominativi putabantur; quam ob rem etiam ,duo pondo' ,terna pondo' illis locis inveniuntur.

Ac ne hoc quidem loco auctorem vocis librae ellipsin cognovisse existimari debet:

Sen. ep. 95, 42 „(mullum) quattuor pondo et selibram fuisse aiebat",

nam cum illo exemplo conferas:

Liv. XXII 23, 6 „ut argenti pondo bina et selibras in militem praestaret".

Deinceps nonnulla de vocis ,pondo' usu proferam; ac maxime explicabo,

b. quomodo Livius[1]) voce ,pondo' usus sit.

Livius hanc vocem frequenter et varie adhibuit. Ac plerumque indeclinabili ,pondo' aliud substantivum apponitur, quod genetivi qu. d. partitivi munere fungitur. cf.

I 55, 9 „qui quadraginta milia pondo argenti seposita in eam rem scribit".

V 48, 8 „mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi factum".

XXXIX 29, 6. XXXIX 7, 1. XXXX 16, 11. XXXIX 5, 7.

Interdum autem ,pondo' epexegeseos loco alio substantivo additur:

IV 20, 4 „dictator coronam auream libram pondo in Capitolio Iovi donum posuit" „einen goldenen Kranz von einem Pfunde" propr.: „und zwar ein Pfund". cf. Cat. agr. 10, 1 „quomodo oletum agri iugera CCXL instruere oporteat".

III 29, 3. XLIV 14, 2.

Saepe non satis lucide apparet, utrum ,pondo' epexegeseos loco praecedenti substantivo additum sit an genetivi qu. d. qualitatis locum teneat:

XXVIII 45, 12 „tulerunt coronam auream CC[2]) pondo".

---

[1]) nam in eius libris persaepe annalium scriptorum genus scribendi cernas.

[2]) cf. Weißenborn ad h. l.: „CC pondo kann ducenta oder ducentum sein."

XXII 1, 17 „Iovi primum donum fulmen aureum pondo quinquaginta fieret".

XXXXIII 6, 6. XXXV 23, 11. XXV 39, 13.

,Pondo' praemittitur substantivo:

XXXVI 35, 12 „centum pondo coronam auream posuerunt".

XXXXIII 6, 7.

XXVII 4, 9.

Genetivum qu. d. qualitatis invenias:

XXII 37, 5 „Victoriam auream pondo ducentum ac viginti adferre sese".

XXXII 27, 1 „Eodem anno legati ab rege Attalo coronam auream ducentum quadraginta sex pondo in Capitolio posuerunt".

De hoc loco virorum doctorum sententiae valde discrepant:

XXVI 47, 7 „paterae aureae fuerunt CCLXXVI, libras ferme omnes pondo".[1]) (P(uteanus)). Madvigius (in em. Liv. p. 318) corr.: „librae ferme omnes pondo." Sed ,pondo' similiter atque adiectiva dimensionem significantia (altus, latus, similia) nonnunquam cum accusativo iunctum esse videtur:

Varr. l. l. V 182 „nam quod asses libras pondo erant, qui acceperant maiorem numerum ... in aliqua cella stipabant".

Paul. s. v. ,grave aes' „deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium".

Numerus pluralis (libras)[2]) invenitur, quod his locis de compluribus rebus agitur: cf.

Liv. XXVI 36, 5 sequ. „ut, quibus uxor filiaeve sunt, singulas uncias pondo auri relinquant, argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta et libras pondo, ut salinum patellamque deorum causa habere possint".

(Riemann l. c. etiam hunc locum huc referendum esse putavit: Colum. XII 28, 1 „.... irim cribratam, quae sit instar pondo quincuncem et trientem".

---

[1]) Σ (Spirensis) exhibet ,librales'; ad h. l. cf. M. O. Riemann, Acad. des Inscr. C. R. 16, 1888, p. 138.

[2]) Hultsch (in Metrol. Script. ed. p. VIII) vocem ,libras' antiquam genetivi formam putavit.

Sed hoc loco accusativus ex ‚instar' praepositione pendere videtur; nam ‚instar' in posteriore latinitate interdum cum accusativo iungitur: cf.

Pelag. vet. 21 p. 77 „instar magnitudinem nucis Avellanae.") Restat, ut videamus,

c. quo tempore ‚pondo' quasi obriguerit.

Legis duod. tab. fragmento, quod supra p. 6 scripsi, ostenditur hanc vocem iam in prisca latinitate obrigescere coepisse.

In Plauti fab. praeter eos locos, quos p. 6 commemoravi, hi exstant:

Persa 231 „tu quidem haud etiam es octoginta pondo",
Asin. 299 „quot pondo ted esse censes nudum?"
Asin. 301 „nudus vinctus centum pondo's, quando pendes per pedes",
Trucul. 913 „plus decem pondo amoris pauxillisper perdidi."

E quibus ‚pondo' iam Plautina aetate tamquam obriguisse colligas, nisi illis exemplis, quae supra p. 6 attuli, etiam tum ablativum intellectum esse demonstraretur.

Apud Catonem iam nullus locus invenitur, ex quo eum ‚pondo' ablativum putavisse lucide appareat. Nescio igitur an Cat. agr. 84 „mellis pondo quadrantem" non iam „mellis pondere quadrantem" sed potius „mellis quartam partem librae" significaverit.[1])

Iam ‚uncia pondo' idem atque ‚duodecima pars librae' valuit,
‚sextans pondo' = ‚sexta pars librae',
‚quadrans pondo' = ‚quarta pars librae', similiter
‚libra pondo' = ‚(tota) libra'.

Hac analogia fortasse factum est, ut ‚unum pondo' plerumque non diceretur, cum complures librae, ut supra

[1]) Huic sententiae verborum ‚pondo quadrantem' collocatio non repugnat: nam etiam posteriore aetate, qua ‚pondo' prorsus obriguisse constat, eandem collocationem invenias. cf.
Colum. XII 20, 5 „calami pondo libram",
Plin. n. h. XXVI 33 „Vettonicae tusae pondo libra",
Cels. V 19, 19 „aeruginis rasae pondo bessem".

explicavimus, voce ‚pondo' significarentur. Cf. Charis. Instit. Gram. I 12 „quamquam ‚unum pondo' non dici sciamus, sed in libram referamus, ut puta unam libram, duas libras; duo enim pondo et deinceps observamus." (Tamen invenias Cat. agr. 39, 1 „cerae p. I" „resinae p. I", atque aetate multo inferius Edict. Dioclet. C. I. L. III 2, p. 834; 11, 1 „pilorum infectorum p. I"; 11, 3 „pilorum ad funem confectorum p. unum"; Gell. N. A. IV 8, 7 „quod decem pondo libras argenti facti haberet", Fest. p. 363 „duas libras pondo.")

Cf. praeterea Cat. agr. 85 „mellis pondo semissem" „½ Pfund Honig;"
agr. 158, 1 „de perna frustum pondo semissem (addito)" „Von der Keule ein Stückchen, und zwar ½ Pfund;"
Colum. XII 33, 2. Colum. XII 57, 5.

Cap. II.
Quod si.

Cf. Reisig-Haase III p. 107 sequ. (adn. 371 a, 372);
Clemens Otto „De epexegeseos in Latinorum scriptis usu." Diss. Monast. 1912 p. 52 sequ.
Kühner-Stegmann II, 2 p. 321 sequ.

a. Quomodo ‚quod si' copulatio obriguerit.

Priorem huius compositionis partem (quod) omnes fere viri docti accusativum relationis putabant (cf. Reisig-Haase).

Huic sententiae contraria est Bergkii (Philol. XIV p. 185), qui exponit illud ‚quod' priscum ablativum esse, qui in sermone nostro ‚darum, demnach' valeat, eumque servatum esse, quia iam non intellegeretur.[1])

Sed iam R. Schneider („ὃ ὅπερ ἅ in der Bedeutung ‚weshalb obgleich während'" N. J. 29, 1 [1883] p. 464)

[1]) Idem fere sentiunt L. Koterba, Diss. Vindob. vol. VIII p. 142 (1905), et Schmalz ‚Syntax' [4] 1910 p. 623.

docuit prae artis grammaticae legibus fieri non potuisse, ut prisci ablativi cum coniunctione ‚si' compositio non paulatim in mediis consonantibus mutaretur (quōd-si: quossi; quŏd-si: quodsi).

Atque Otto illud ‚quod' nihil aliud nisi merum pronominis aut nominativum aut accusativum ad praemissa spectantem fuisse primus dilucide demonstravit.

Quod quo iure dixerit, breviter libet disserere.

Ac primum quidem nonnulla exempla proferam, quibus pristinum compositionis ‚quod si' usum intellegas:

(**1.**)

Plaut. Curc. 67 sequ.

„Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum Petitum argentum a meo sodali mutuom: Quod si non affert, quo me vortam nescio."

Hoc loco pronomen relativum ad singularem notionem praemissam spectat. cf.

Persa 400 sequ.

Cic. Att. III 9, 3.

(**2 a.**)

Multo saepius illud pronomen ad totam sententiam respicit:

Cic. fam. IX 9, 3 „quare velim, ut tu te vel Athenas vel in quamvis quietam recipias civitatem; quod si eris facturus, velim mihi scribas, ut ego, si ullo modo potero, ad te advolem."

cf. Cic. Att. III 15, 7; Merc. 382, Lucr. I 354; III 788, Cic. Att. I 20, 2; II 22, 2; III 7, 1.

(**2 b.**)

Cic. fin. III 5 „Quamquam ex omnibus philosophis Stoici plurima novaverunt, Zenoque, eorum princeps, non tam rerum inventor fuit quam verborum. Quod si in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur, quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere?"

Hoc loco relativum explicationi accuratiori ipsi praemittitur, ut eam quasi praeparet atque occupet. Cf.

Ter. Andr. 513; Lucr. V 195; Cic. Cat. m. 82; Liv. VI 7, 2.

(**2 c.**)

Imprimis eae sententiae, quae creberrimo usu quasi in formularum vim abierunt, velut „quod si ita est" (cf. „quae cum ita sint") „quod si est" similes huc referendae sunt. Cf.

ad fam. XIII 1, 4: „ob eam causam impetravit, quod te abiecisse illam aedificationem constabat inter omnes amicos tuos. quod si ita est et si iam tua plane nihil interest, velim . . . ." (fam. III 3, 2 „id si ita est").

cf. praeterea ad Brut. I 15, 3 („quod si ita est"); Tuscul. disp. V 32 „quod si ita est"; Cluent. 189 „quod si esset"; Muren. 5 „quod si ita est"; Phil. XII 3 „quod si ita est"; de sen. 82 „quod quidem ni ita se haberet"; Lucr. II 478 „quod si non ita sit"; Lucr. I 330, III 765, Phorm. 586, Andr. 244.

Propterea igitur, quod illud pronomen relativum cum coniunctione ‚si' creberrime copulabatur, denique factum est, ut quid haec compositio proprie significaret, non iam satis intellegeretur.

Ac ‚quodsi' obriguisse, ut ita dicam, his exemplis ostenditur:

Cic. ep. XII 20 „sic igitur facies meque amabis et scripto aliquo lacesses; ego enim respondere facilius possum quam provocare. quodsi (wenn aber), ut es, cessabis, lacessam, nec tua ignavia etiam inertiam adferet."

Cluent. 134 „Quodsi hoc Habito facere licuisset"; ad Att. XIII 10, 1 „Quod nisi mihi hoc venisset in mentem."

In hac voce explicanda ab illo proprio usu proficiscendum esse Cl. Otto veterum quoque auctorum ratione explanata comprobat.

Apud Plautum enim uno tantum loco (Trin. 217) ‚quodsi' nihil nisi nexum significare, cum quinquies pronomen ‚quod' pro obiecto sive subiecto positum sit. Iam aliter rem se habere in Terenti fabulis, in quibus decem locis ‚quodsi' obriguerit ac quinque tantum locis pristinus pronominis usus eluceat.

Unde illam compositionem, similiter ac ‚pondo', iam Plautina aetate obrigescere coepisse intellegas.

Simili ratione explicandae esse videntur compositiones ‚quod nisi' ‚quod quoniam' ‚quod quia' ‚quod etsi' ‚quod cum' ‚quod absque' ‚quod ubi' ‚quod ut' ‚quod utinam' ‚quod nunc', quae quidem multo rarius inveniuntur quam ‚quod si' copulatio.

Pristinam ac propriam compositionis ‚quod nisi' (quod ni) usum fortasse his locis invenias:

Phorm. 153.

Cic. de sen. 82. off. III 108.

‚Quod nisi' copulationem obriguisse atque in transitus formulam abisse, ut ita dicam, ex his fere locis cognosci potest:[1])

Cic. Verr. II 160.

Liv. III 46, 3.

Tuscul. 4, 36; Verr. II 64, III 215. Brut. ap. Cic. de or. 2, 224. Caes. b. G. VII 88, 6. Nep. XXIII 1, 2.

Pristinam compositionis ‚quod quoniam' naturam intellegas: Cic. fam. XI 28, 1 [Matius].

Hanc compositionem plane obriguisse ex his exemplis cognosci potest: fin. III 59 „quodquoniam (sapiens) nunquam fallitur in iudicando".

div. II 127 „quodquoniam illud negatis".

quod quia.

Verum pronominis casum opinari licet: nat. deor. I. 53.

‚quod quia' copulationem quasi in transitus formulam abisse ex hoc exemplo apparet: fin. I 67 „quodquia (weil nun) nullo modo sine amicitia firmam iucunditatem vitae tenere possumus, idcirco ...."

quod nunc.

Lucr. I 219 sequ.[2]) „nulla vi foret usus enim quae partibus eius discidium parere et nexus exsolvere posset. quod nunc (nun aber), aeterno quia constant semine quaeque, ... (224) nullius exitium patitur natura videri".

[1]) cf. Stangl, Rh. Mus. 70 p. 227.
[2]) cf. quae Munro adn. ad h. l.

De reliquis huiusmodi compositionibus cf. Reisig-Haase III p. 107 sequ., Kühner-Stegmann II 2 p. 322.

b. De vi atque usu coniunctionis ‚quodsi'.

Quoniam consideravimus, quomodo haec pronominis relativi cum coniunctione ‚si' compositio quasi coaluerit, ita ut nova quaedam coniunctio exsisteret, vim nunc huius coniunctionis paulo diligentius explicemus.

Quam ob rem primum videamus, quae vis fuerit huius coniunctionis

A. in prisca latinitate.

E priscorum poetarum numero usi sunt coniunctione Plautus, Terentius, Accius (Afranius).

Apud Plautum ‚quodsi' coniunctio uno tantum loco (v. p. 13 h. d.) obviam fit:

Trin. 215 sequ.

„Ego de eorum verbis famigeratorum insciens
Prosilui amicum castigatum innoxium.
Quodsi exquiratur usque ab stirpe auctoritas,
Unde quidque auditum dicant: nisi id appareat,
Famigeratori res sit cum damno et malo."

Hoc loco ‚quodsi' coniunctione transitus fit ab una ad alteram sententiam; atque altera sententia praecedenti opponitur, non quo id quod praecedit reiciatur, sed ut alia res ab alia distinguatur; coniunctionis vis est oppositiva et discretiva.

In Terenti fabulis ‚quodsi' iam decies invenitur: atque eadem fere vis quae apud Plautum apparet locis his: Andr. 256; Eun. 35, 923; Haut. 455; Hec. 247; Phorm. 200. cf.

Andr. 256 sequ.

Obstipui. censen me verbum potuisse ullum proloqui? [aut]
Ullam causam, ineptam saltem, falsam iniquam? obmutui.
Quodsi ego rescissem id prius, quid facerem, si quis
[nunc] me roget:
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem".

Nonnunquam autem ‚quodsi' coniunctio enuntiationes opponit maiore vi (vi adversativa):

Haut. 723; Phorm. 736; Phorm. 168; Hec. 21; cf. Haut. 723:

„Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt,
Decem minas quas mihi dare pollicitus est. Quodsi is nunc me
Deceperit, saepe opsecrans me, ut veniam, frustra veniet."

Phorm. 736:

„Neque ille investigatur,
Qui est eius pater.
Quodsi eum nunc reperire possim,
nihil est, quod verear."

Restat, ut tria exempla, quae Acci et Afrani sunt, afferam; quae, si de syntaxi iudicamus, parvae sunt utilitatis, quia praecedens enuntiatio deest:

Acc. 13 „quodsi — stares mecum".

His autem locis fortasse verum pronominis casum cognoscere licet:

Acc. 312 „quod si procedit, neque te neque quemquam arbitror tuae paeniturum laudis, quam ut serves vide";

Afran. 254: „quod si fecissem paulo prius, didicisset ferre et non esse intolerabilis".

B.

Qualis fuerit ‚quodsi' coniunctionis vis **apud soluti sermonis scriptores.**

1.

A Cicerone usque ad Livium.

In aurea quae vocatur latinitate ‚quodsi' coniunctio increbrescit, ac maxime apud scriptores soluti sermonis invenitur.

A Cicerone varie ac frequenter usurpatur (in orat. 166^{ies}, in philos. 116^{ies}, in epistulis saepe, multo rarius in rhetoricis.)

Accuratius nunc particulae usum atque vim disponamus atque explicemus.

I.

Minore vi opponendi (vi discretiva) ‚quodsi' aliam rem ab alia distinguit;[1]) qua de causa hanc coniunctionem haud raro in novae partis vel particulae initio invenias. Cf.

Phil. IX 7 „Non igitur magis Leptines Octavium nec Veientium rex eos, quos modo nominavi, quam Ser. Sulpicium occidit Antonius. Is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit. Quocirca etiam ad posteritatis memoriam pertinere arbitror extare, quod fuerit de hoc bello iudicium senatus. Erit enim statua ipsa testis bellum tam grave fuisse, ut legati interitus honoris memoriam consecutus sit. 8. Quodsi excusationem Ser. Sulpici, patres conscripti, legationis obeundae recordari volueritis, nulla dubitatio relinquetur, quin honore mortui, quam vivo iniuriam fecimus, sarciamus."

cf. praeterea Balb. 54; Verr. II 143; Quinct. 71; prov. cons. 18; Sex Rosc. 153; Qu. Caec. div. 59; Milon. 61; Tuscul. V 119, II 6.

Ia.

Saepissime ‚quodsi' in ratiocinatione usurpatur; atque hac coniunctione conclusio qu. d. additur et ex antedictis aliud consequens deducitur. cf.

nat. deor. III 51[2]) „Solem deum esse Lunamque, quorum alterum Apollinem Graeci, alteram Dianam putant. Quodsi Luna dea est, ergo etiam Lucifer ceteraeque errantes numerum deorum obtinebunt."

nat deor. III 93[2]) „Non curat singulos homines. Non mirum; ne civitates quidem; non modo eas, ne nationes quidem et gentes. Quodsi has etiam contemnet, quid mirum est omne ab eo genus humanum esse contemptum?"

cf. praeterea Tusc. V 17, V 119, III 21; div. II 16; Planc. 62.

---

[1]) Hunc ‚quodsi' coniunctionis usum iam apud Plautum et Terentium invenimus.

[2]) His locis imperfectos syllogismos cognoscas, quos philosophi ἐνθυμήματα nominant; in pleno syllogismo ‚quodsi' coniunctionem non inveni nisi ad Her. IV 41.

Eodem fere modo ‚si vero' compositio adhibita esse videtur, quae quidem multo rarius obviam fit. Cf.

Phil. XIV 9 „nisi forte huius coloniae et ceterarum, in quas eodem est animo, non est hostis putandus. Si vero coloniarum et municipiorum sine ulla dubitatione hostis est, quid tandem huius censetis urbis, quam ille ad explendas egestates latrocinii sui concupivit, quam iam peritus metator et callidus decempeda sua Saxa diviserat?"

Tuscul. V 43 „Atque etiam omne bonum laetabile est; quod autem laetabile, id praedicandum et prae se ferendum; quod tale autem, id etiam gloriosum; si vero gloriosum, certe laudabile."

De ‚si vero' compositionis usu cf. etiam p. 19, 24 h. d.

II.

Maiore vi (vi adversativa)[1] alteram sententiam praecedenti ita opponit, ut id, quod praecedit, reiciatur. cf.

ep. XII 20 „sic igitur facies meque amabis et scripto aliquo lacesses; ego enim respondere facilius possum quam provocare. quodsi, ut es, cessabis, lacessam, nec tua ignavia etiam inertiam adferet."

Brut. 119; Verr. III 217.

IIa.

Imprimis in argumentatione ‚quodsi' coniunctio non respondere rationem consequentiae[2]) designat (ab altera autem parte nihilominus effici, quod efficiatur, notant vocabula ‚tamen' ‚certe' similia). Cf.

Orat. 4.[3]) „Sed par est omnis omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt. Quodsi quem aut natura sua aut illa praestantis ingenii

---

[1]) cf. p. 15 h. d.

[2]) M. Seyffert ‚Scholae Latinae' [4] 1878, I § 75: „oder es steht in steigerndem, meist adversativen Sinne gegen das Vorangehende (aber selbst wenn), um eine entgegengesetzte Voraussetzung einzuführen, gegen die im Nachsatze mit ‚tamen' dennoch die Wahrheit des zu beweisenden Satzes .... sich geltend machen soll".

[3]) cf. quae Kroll ad h. l. adnot.

vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quem poterit."

Lael. 73.

p. Arch. 17.

Ubi vis opponendi maior videtur esse, ‚quodsi' copulatio fines sin (autem)[1]) coniunctionis occupavit:

Lael. 34[2]) „Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis, quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta toga ponerentur; sin autem ad adulescentiam perduxissent, dirimi tamen interdum contentione vel uxoriae condicionis vel commodi alicuius, quod idem adipisci uterque non posset." (= II a) cf. Cat. mai. 70.

Ter. Eun. 104.

Caes. b. c. I 32, 7.

Plaut. Pseud. 253; Ter. Phorm. 492; Cic. Lael. 63; 78. Tuscul. I 119; egregie Kühner-Stegmann II 2 p. 433, Neue-Wagener II p. 972.

Etiam ‚si vero' compositio interdum vi adversativa usurpatur. Sed haec coniunctio differt a ‚quodsi' coniunctione et graviore vi affirmationis et maioris rei indicio;[3]) nam magnum aut extremum conceditur. cf.

Tuscul. I 93 „Idem, si puer parvus occidit, aequo animo ferendum putant, si vero in cunis, ne querendum quidem.'

cf. etiam Tuscul. I 41; I 29; III 32; III 43; Verr. II 31.

Apud Qu. Ciceronem ‚quodsi' semel invenitur (vi discr. = I): de petit. 19.

---

[1]) Quod grammatici docent ‚sin (autem)' coniunctionem non adhiberi nisi cum ‚si' praecesserit, valde errant: cf. C. F. W. Müller ad off. I 47 et Kühner II 2, 433.

[2]) cf. quae C. F. W. Müller ad h. l. adnotavit.

[3]) Apud alios auctores huius aetatis atque imprimis in posteriore latinitate ‚si vero' idem valuisse videtur quod ‚quodsi' ‚sin (autem)' coniunctiones: cf. p. 24 h. d. et Caes. b. c. III 10, 7 „hoc unum esse tempus de pace agendi, dum sibi uterque confideret et pares ambo viderentur; si vero alteri paulum modo tribuisset Fortuna, non esse usurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur."

Apud Caesarem ,quodsi' locis 13 obviam fit, atque nonnisi in orationibus.

Plurimis locis vis adversativa (= II, II a) apparet. b. G I 14; I 40, 4; I 44, 13 (bis); VII 71, 3; VII 77, 16 (= II). b. G. I 40, 14; b. c. I 71, 4 (= II a) cf.

b. G. I 40, 14: „Itaque se .... proxima nocte de quarta vigilia castra moturum, ut quam primum intellegere posset, utrum apud eos pudor atque officium an timor plus valeret. Quodsi praeterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum."

His locis vim discretivam invenias:

b. G. I 44, 12; I 20, 3; b. c. II 31, 5 (= I).

Etiam

b. G. I 20, 3; „Sese tamen et amore fraterno et existimatione vulgi commoveri. Quodsi quid ei a Caesare gravius accidisset, cum ipse eum locum amicitiae apud eum teneret, neminem existimaturum non sua voluntate factum,"

nescio an vim discretivam invenias; quamquam H. Menge (Repet. der lat. Synt.[10] § 264 adn. 2) hoc loco vim causalem coniunctionis apparere conicit (an propterea quod verbum ,existimaturum' ad notionem praemissam ,existimatione' spectare putat?)

b. G. I 45, 3; VII 32, 5. (= I a.) cf.

b. G. VII 32, 5: „Civitatem esse omnem in armis; divisum senatum, divisum populum, suas cuiusque eorum clientelas. Quodsi diutius alatur controversia, fore uti pars cum parte civitatis confligat."

Auctor belli Alexandrini coniunctionem ,quodsi' semel adhibuit (vi adv. = II a): VIII 2

A belli Africani auctore semel usurpatur[1]) (vi adv. = II): XXXI 2.

Apud Cornelium Nepotem ,quodsi' perraro invenitur. Cf. Eum. 8, 3. Hoc loco vis discretiva (= I) apparet.

Apud Varronem raro obviam fit (vi discr. = I), velut R. R. II 1, 7; III 2, 7.

[1]) Belli Hispaniensis auctor plane coniunctione abstinuit.

In Sallusti libris locis 7 exstat, ac quinquies vim discretivam invenias: C. 2, 3; 39, 4.

J. 1, 5; 31, 16; 85. 17 (= I).

Vis adversativa apparet: C. 58, 21. J. 85, 17. (= II).

C. 14, 4 (= II a).

In Titi Livi libris ,quodsi' perraro[1]) obviam fit, ac ter vim adversativam inveni: III 56, 10 (bis), XXXXII 62, 7 (= II).

In ratiocinatione coniunctio exstat: XXXI 37, 4.

2.

Qualis fuerit ,quodsi' coniunctionis vis

post Livium usque ad quinti saeculi initium.

Ac primus Vitruvius coniunctionem octies adhibuit.

Vim discretivam omnibus fere locis invenias:

p.[2]) 47, 10; 197, 19; 208, 11, 21; 248, 14 (= I).

In argumentatione sive ratiocinatione his fere locis apparet: p. 138, 12; 263, 6 (= I a).

Hoc autem loco fortasse vim causalem coniunctionis cognoscas:

p. 6, 10 „brachia enim quae in eas tentiones includuntur, cum extenduntur, aequaliter et pariter utraque plagam mittere debent. quodsi non homotona fuerint, inpedient directam telorum missionem."

Apud Velleium Paterculum uno[3]) tantum loco exstat: I 3, 2. (= I a.)

Apud Cornelium Celsum ,quodsi' haud raro invenitur.

Vis discretiva apparet:

Prooem. I 59 (p. 10, 21)[4]); III 18, 7 (p. 99, 26)[5]) = I.

[1]) Reisig-Haase III p. 310 adn. 372.

[2]) Vitruvii de archit. libr. X ed. Val. Rose et Herm. Müller-Strübing, 1867.

[3]) Fritsch, Über den Sprachgebrauch des Vell. Arnstadt, 1876 p. 20.

[4]) Cels. de medic. ed II. C. Daremberg, 1891, quam cum Marxii (1915) ed. comparavi.

[5]) ,quod si' exhibet J.; cett. cod.: quo si.

Prooem. I 30 (p. 5, 39); II 10, 11 (p. 53, 35) (= Ia).

Vim adversativam hoc loco invenias:

I Prooem. 30 (p. 5, 34).

Apud Senecam ‚quodsi' perraro invenitur, velut ad Marc. 16, 3. (vi discr. = I.)

In Curtii historiis locis 7 invenitur, ac vis discretiva apparet: IV 11, 18; IV 14, 17. (= I.)

IV 12, 15 (= Ia).

Vim adversativam invenias:

IV 1, 14; VIII 5, 12; IX 3, 13; IX 6, 10. (= II.)

In Petronii[1]) satiris ‚quodsi' locis 9 invenitur.

His locis vim discretivam invenias:

46, 50, 77, 129, 141. (= I.)

Ac bis (50, 129) ‚quodsi' maiorem[2]) rem praecedenti adiungit:

50 „ego malo mihi vitrea, certe non olunt. quodsi ja, wenn) non frangerentur, mallem mihi quam aurum".

45 (= Ia):

„sed subolfacio, quod nobis epulum daturus est Mammaea, binos denarios mihi et meis. quodsi hoc fecerit, eripiat Norbano totum favorem."

Vis adversativa sive oppositiva (= II) apparet: 4, 18, 80.

Sequitur Plinius maior, qui coniunctione raro usus est, velut XII 103, XXX 91 cf.

XII 103 „palma in Aegypto quae vocatur adipsos, viridis, odore mali cotonei, nullo intus ligno. colligitur autumno paulo ante quam incipiat maturescere. quodsi relinquatur, phoenicobalanus vocatur et nigrescit vescentesque inebriat." (adv. = II.)

Apud Quintilianum ‚quodsi' raro invenitur, velut Instit. orat. XII 10, 52. (= I.)

---

[1]) III. ed. Fr. Buecheler 1882.

[2]) Illis autem locis ‚quodsi' idem fere valet quod ‚si vero' in Ciceronis libris: cf. p. 19.

Iam transgrediar ad Tacitum, qui ‚quodsi' coniunctionem valde amavit (dial. ter, annal. 11^{ies}, hist. 5^{ies}, Agr. bis). Vis discretiva apparet:

Dial. 3, 3; 19, 6. Ann. II 73; III 53; Hist. I 1; III 9; III 66; Agr. 12; 44, 1. (= I.) cf.

Agr. 44, 1 „Natus erat Agricola . . . .; excessit . . . .; quodsi habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit."

Quattuor autem locis ‚quodsi' maiorem rem indicat (cf. p. 22 adn. 2): Dial. 19, 6[1]); Ann. II 73; Hist. III 9; Agr. 12. cf. Dial. 19, 6 „iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus, et quidquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur, in honore erat; quodsi (wenn aber vollends) quis odoratus philosophiam videretur et ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur."

In ratiocinatione ‚quodsi' usurpatur:

Ann. III 58, IV 15, XIII 49, XIV 1. (= Ia.)

Vis adv. invenitur: Dial. 41, 4 Ann. I 67, II 76, IV 43, XI 6, Hist. III 19, IV 76. (= II.)

Ann. XIV 56. (= IIa.)

Apud Plinium Caecil. Sec. ‚quodsi' raro[2]) invenitur, velut ep. V 19, 2.

Suetonius ‚quodsi' coniunctione uno tantum loco usus est: Jul. 31, 2 „etiam nunc, inquit, regredi possumus; quodsi ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt." (=II).

In Justini epitoma ‚quodsi' non invenitur nisi II 12, 20. (= II.)

Nunc venimus ad scriptores archaizontes qui dicuntur: Frontonem, Apuleium, Gellium; ac

Fronto[3]) quidem ‚quodsi' coniunctionem valde amavit. Cf. ad Caes. ep. III 3 (p. 42 med.). (= Ia.)

---

[1]) cf. A. Gudeman ad h. l. „quod, gefolgt von einem Kondizionalsatz, leitet über zu einer stärkeren Behauptung".

[2]) Kraut, „Über Syntax u. Stil des jüng. Plinius" p. 35.

[3]) ed. Naber, Lps. 1867.

cf. praeterea p. 42 (fin.); p. 44 (med.); p. 74 (med.)

Sequitur Apuleius, qui hac coniunctione haud raro usus est (imprimis in Apologia): cf.

apol. 29 (p. 34, 13 Helm). (= I.)

apol. 13 (p. 34, 13); 18 (22, 15); 20 (24, 13) = Ia.

Apud Aulum Gellium coniunctio saepe[1]) invenitur. cf. N. A. XVI 8, 14. (= II).

Iam per duo fere saecula ‚quodsi' coniunctio evanescit.

Apud Censorinum perraro exstat. Cf.

de die nat. 15 (p. 28 Hultsch). (= Ia.)

In posteriore latinitate ‚quodsi' increbrescit, atque apud Arnobium[2]) haud raro invenitur: cf.

p. 135, 6. (= I a.)

p. 45, 6. (= II a.)

cf. etiam p. 49, 19; 137, 13.

Lactantius coniunctionem saepe adhibuit: cf.

de ira dei 10, 53. (= I a.) 10, 48; 18, 9.

Flavius Vopiscus ‚quodsi' bis usurpavit: Tyr. trig. 3, 10; Tacit. 11, 7. Cf.

Tyr. trig. 3, 10 „Galliae praesidem Postumum fecimus, virum dignissimum severitate Gallorum .... quodsi me fefellerit opinio, quam de illo habeo, sciatis nusquam gentium repperiri, qui possit penitus adprobari." (= II.)

A Firmico Materno[3]) ‚quodsi' frequentissime[4]) usurpatur (in math. libris), atque eodem fere modo quo ‚si vero' compositio. Cf.

I p. 104, 1 „Faciet enim, si sic fuerit collocatus, paralyticos .... Quodsi sic Saturno posito ab eo recedens Luna Marti se coniunxerit, in nocturnis scilicet genituris, faciet insanos lunaticos melancholicos languidos. Quodsi sic Saturnus constitutus in nocturna genitura in extremo cornu deficientis Lunae haeserit, facit thisicos."

[1]) Haase l. c. cf. XIV 1, 22; XIV 1, 29.
[2]) ed. Reifferscheid.
[3]) ed. Kroll-Skutsch-Ziegler.
[4]) v. indicem a Krollio-Zieglero curat. p. 512.

II p. 232, 15 „Hoc si Lunae contigerit, matrem prius dicimus interire. Si vero his sic ut diximus ordinatis Mars Saturnum quadrata radiatione respiciat, pater biothanatus iussu vel ira principis interibit. Si vero his sic sicut diximus ordinatis Juppiter in cardinibus fuerit inventus, patris infortunia mitigantur."

Apud Charisium ‚quodsi' perraro exstat. Cf.

Instit. Gram. Lib. I p. 75, 2.

Apud Vegetium Renatum persaepe invenitur (in ep. rei mil. locis 23: cf. Langii ind.) Cf.

p. 67, 2. (= II.)

Apud Marcellum Empiricum[1]) coniunctionem saepe inveni: p. 44, 18; 46, 4; 67, 29; 68, 16; 68, 20; 68, 42. Cf. 68, 16. (= I.)

Atque ut breviter comprehendamus, quae fuerit vis coniunctionis apud scriptores, qui post Ciceronem fuerunt; ubique eadem fere vis apparet quae apud illum auctorem nonnullis locis[2]) exceptis, quibus ‚quodsi' similiter ac ‚si vero' rem maiorem praecedenti opponit. Duobus autem locis[3]) fortasse vis causalis invenitur.

C.

Qualis fuerit ‚quodsi' coniunctionis vis apud poetas

1.

aureae quae vocatur latinitatis.

Usu ‚quodsi' coniunctionis apud soluti sermonis scriptores a Cicerone usque ad quarti saeculi finem tractato reliquum est, ut pauca dicamus de poetis; ac primum exponamus, qualis fuerit vis atque usus coniunctionis in aurea latinitate qu. d.

Meminerimus qualis apud Plautum Terentiumque usus coniunctionis fuerit. Hoc tempore ‚quodsi' ita usurpatum est, ut enuntiationes sive maiore vi (vi adversativa) sive minore vi (vi discretiva) opponeret.

[1]) ed. Max. Niedermann, Lps. 1916.
[2]) in Petronii et Taciti scriptis.
[3]) Caes. b. G. I 20, 3 et Vitr. p. 6, 10.

Jam postquam ‚quodsi‘ per centum fere annos evanuit, in aurea latinitate qu. d. prolata est in lucem a Lucretio[1]), qui hac coniunctione frequenter usus est. 29[ies] enim invenitur, semper in versus initio (exceptis duobus locis.[2])

Omnibus fere locis vim adversativam[3]) sive oppositivam invenias: I 180, 213, 234, 391, 410, 665, 904; II 47, 225, 772, 924, 931, 985; III 539, 612, 698, 722, 748, 819; V 338, 1117; VI 387.

Ac saepe (sequente particula ‚forte‘) dubitationem sive dissensionem introducit:

I 391 „quodsi forte aliquis putat“; I 665 „quodsi forte credunt“; II 225 „quodsi forte aliquis credit“; II 924 „quodsi forte“; II 931 „quodsi forte aliquis dicet“. III 533 „quodsi forte putas“; III 698 „quodsi forte putas“; III 722 „quodsi forte credis“.

In argumentatione invenitur (= Ia):

III 714 „Semina praeterea linquuntur necne animai
corpore in exanimo? quodsi linquuntur et insunt,
haud erit ut merito immortalis possit haberi,
partibus amissis quoniam libata recessit.“

Catullus coniunctionem quater adhibuit:
14, 8 (= II); 15, 14 (= Ia); 42, 16 (= I); 64, 228 (= II).

Apud Tibullum illa coniunctio quater invenitur (in versus initio); ac vim adversativam cognoscere licet: I 3, 53; II 6, 7; IV 5, 11.

Cf. I 3, 49

„Nunc Jove sub domino caedes et vulnera semper,
nunc mare, nunc leti multa reperta viast.
(51) Parce, pater. timidum non me periuria terrent,
non dicta in sanctos inpia verba deos.

[1]) ed. C. Bailey. Oxon. 1911.
[2]) cf. p. 30 h. d.
[3]) Aliter Forbiger ad Lucr. I 222 „Scilicet admodum frequens est Lucretio hic usus accusativi absoluti pronominum ‚quod‘ ‚hoc‘ ‚id‘ pro qua, hac, ea ratione positi, quo transitus ab una ad alteram sententiam ita efficiatur, ut simul ipsas sententias arctius inter se cohaerere clarius iudicetur“.

(53) Quodsi fatales iam nunc explevimus annos,
fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
‚Hic iacet inmiti consumptus morte Tibullus,
Messalam terra dum sequiturque mari.‘

ad h. l. cf. Elter (Rh. Mus. 61 p. 267): „ohne Frage wird mit ‚quodsi‘ aus bestimmten Voraussetzungen eine Schlußfolgerung gezogen . . . es kann nur heißen ‚wenn also‘, ‚wenn denn‘“,[1]) „V. 51 weiß Tibull, daß er bestimmt sterben muß.“ Sed brevi ante Jovem orat atque obsecrat, ut sibi parcatur! Cui sententiae v. 53 opponitur. (ad v. 51 cf. v. 4 „abstineas avidas, Mors precor atra, manus.“) Hoc etiam Elter sentire videtur: „Aber vorher geht ‚parce . . . deos‘, die Bitte an Juppiter, seiner zu schonen; da sollte man doch erwarten, er würde fortfahren mit ‚si tamen‘ (!), nicht mit ‚quodsi‘.“

Vis discretiva apparet IV 1, 201.

Propertius[2]) praebet coniunctionem locis 19 (semper in versus principio).

Vis adversativa sive oppositiva apparet:
I 1, 37; II 7, 15; II 14, 31; II 26, 13 = II
I 5, 9; II 10, 5; II 20, 19; III 16, 21 = IIa cf.
I 1, 37 (= II):

„Hoc moneo, vitate malum: sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quodsi quis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!“

II 10, 5 (= IIa):

„Jam libet et fortes memorare ad proelia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quodsi deficiant vires, audacia certe
Laus erit; in magnis et voluisse sat est.“

[1]) Quod Elter (p. 278) ‚quodsi‘ coniunctionem non usurpari nisi vi consecutiva sive discretiva opinatur, valde errat. Nam me demonstraturum esse spero praeter hanc vim vim adversativam inde a Terentio usque ad infimae latinitatis tempora persaepe inveniri.
[2]) ed. C. Hosius, Lps. 1911.

‚Quodsi forte‘ copulatio, quam Lucretius valde amavit, etiam in Properti carminibus interdum invenitur:

I 5, 9; II 14, 31; II 26, 13.

Vim discretivam cognoscere licet:

I 5, 25; III 6, 41; III 17, 13. (= I.)

Saepius autem vis consecutiva invenitur, quam apud Lucretium uno tantum loco cognovimus:

II 15, 17; II 15, 37; II 20, 19; II 24, 5;[1]) II 30, 31; II 32, 61; III 7, 43; III 14, 33. Cf.

II 15, 11 sequ.:

„non iuvat in caeco Venerem corrumpere motu:
si nescis, oculi sunt in amore duces:
ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
cum Menelaeo surgeret e thalamo:
nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
dicitur et nudae concubuisse deae.
[2]) quodsi pertendens animo vestita cubaris,
scissa veste meas experiere manus.“

Vergilius coniunctionem quinquies adhibuit, ac ter in versus initio: Aen. 6, 133; 11, 357; 11, 434, duobus autem locis medio in versu (cf. p. 30): Aen. 7, 310; 11, 166.

Ubique vis adv. sive opp. apparet.

In Ciri ‚quodsi‘ ter invenitur (in versus initio):

12, 241, 333. cf. 237 sequ. (= II.)

Horatius coniunctione varie ac frequenter usus est (in carm. bis; in epod. ter; in serm. uno tantum loco; in ep. locis 9), ac semel ‚quodsi‘ medio in versu invenitur: ep. I 2, 70, quattuor autem locis in versus fine: ep. I 3, 25; I 9, 11; I 19, 17; II 1, 241 (cf. p. 30).

Vis discretiva apparet:

epod. 10, 21; 11, 15; S II 4, 6; ep. I 2, 70; I 7, 10; I 20, 9; II 1, 90; II 1, 241.

---

[1]) ad h. l. cf. Jacoby, Rh. Mus. 69, p. 435 sequ., 442.

[2]) Rothstein ad h. l.: „mit quodsi wird die Folgerung aus den eben angeführten Beispielen gezogen.“

Vim consecutivam invenias: c. III 1, 41; ep. I 9, 11. cf. c. III 1, 37 sequ.[1])

„sed Timor et Minae
scandunt eodem, quo dominus, neque
decedit aerata triremi [et]
post equitem sedet atra Cura.
quodsi dolentem nec Phrygius lapis
nec purpurarum sidere clarior
delenit usus nec Falerna
vitis Achaemeniumque costum,
cur invidendis postibus et novo
sublime ritu moliar atrium?“

His autem locis ‚quodsi‘ rem graviorem introducit:

c. I 1, 35; epod. 2, 39; ep. I 3, 25; I 19, 17,

e quibus elucet Horatium nonnunquam ‚quodsi‘ coniunctioni eandem vim usumque dedisse, quem Cicero tribuit ‚si vero‘ compositioni. (Eundem ‚quodsi‘ coniunctionis usum iam apud Petronium et Tacitum (p. 22, 23) intelleximus.) Cf. c. I 1, 29 sequ.

„me doctarum ederae praemia frontium
dis miscent superis; me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
secernunt populo, si neque tibias
Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton;
quodsi me lyricis vatibus inseres,
sublimi feriam sidera vertice.“

(ad h. l. Menge, Repet. d. lat. Synt.[10] § 264 adn. 2: „wenn vollends“).

Uno tantum loco ‚quodsi forte‘ copulationem cognoscere licet, quam apud Lucretium et Propertium multo saepius invenimus:

ep. I 1, 70 „quodsi me populus Romanus forte roget.“

Apud Ovidium ‚quodsi‘ perraro exstat. Cf.

met. V 416. (= I.)

---

[1]) hoc loco enthymema qu. d. cognoscas: cf. p. 17. h. d.

Atque ut coniunctionis ,quodsi' apud huius aetatis poetas usum complectamur: Lucretius, Propertius, Horatius hanc coniunctionem amaverunt; a Lucretio ,quodsi' uno tantum loco in ratiocinatione adhibetur, plurimis autem locis vis adversativa sive oppositiva apparet; apud Propertium ,quodsi' plerumque in ratiocinatione invenitur; Horatius hac coniunctione nonnunquam eodem fere modo usus est, quo Cicero ,si vero' compositionem adhibuit. Saepe apud Lucretium et Propertium (apud Horatium uno tantum loco) ,quodsi' coniunctio sequente particula ,forte' dissensionem sive dubitationem inducit.

Maxime interest, quem in versu locum obtineat ,quodsi' coniunctio. Poetae dactylici qu. d. plerumque hanc coniunctionem in versus principio posuerunt, cum hic locus enuntiati principium ferat. (Medio quidem in versu, sed in enuntiati principio exstat

apud Lucretium: III 612 in thesi secundi pedis
III 714 in thesi tertii pedis
apud Vergilium: Aen. 7, 310 in thesi tertii pedis
Aen. 11, 166 in thesi tertii pedis
apud Horatium: semel: ep. I 2, 70 in thesi secundi pedis, quattuor autem epistularum locis in versus fine: I 3, 25; I 9, 11; I 19, 17; II 1, 241;
apud Ovidium: met. V 416 in thesi tertii pedis.)

Interdum ,quod' a ,si' separatur: ,mihi' pronomen metri causa interponitur: Prop. II 15, 37; III 6, 41 (cf. Ter. Hec. 249 „Quod tu si idem faceres"); Cat. 64, 228 („quod tibi si"); Tib. IV 1, 201.

2.

Qualis fuerit ,quodsi' coniunctionis usus post Ovidium usque ad quinti saeculi initium.

Nunc videamus, quomodo poetae, qui post Ovidium fuerunt, ,quodsi' coniunctione usi sint. Ac primus Germanicus (in Arateis) coniunctionem bis adhibuit (in versus initio):

405 sequ. (= II):

„tum mihi siccentur substricta cornua velo
et rigidi emittant flatus per inane rudentes.
quodsi deprensae turbavit lintea puppis
incubuitque sinu laxo, vel mergitur undis
prona ratis sorbetque inimicum Nerea prora."

cf. Arat. Phain. 420 sequ.

Cum Germ. 582 cf. Arat. 563.

His igitur locis, quibus Graeca conservata sunt, vetus interpres ,εἰ δὲ' atque ,ἀτὰρ εἰ' copulationes vertit ,quodsi' coniunctione. Etiam in Glossis Latino-Graecis [Goetz II 168, 2] ,quodsi' Graeco εἰ δὲ respondet.[1])

In Priapeorum libro (ed. Buecheler[3]) ,quodsi' nonnunquam exstat:

28, 4; 35, 3; 36, 10. (= I.)

Apud Lucanum ,quodsi' raro exstat. Cf. Phars. I 33 sequ. (= II).

In carmine, quod Aetna inscribitur, plerumque vim adversativam sive oppos. cognoscere licet; 155, 307, 330, 349, 492, 537. (= II.)

Ac ter ,quod si forte' copulatio invenitur (quam Lucretius valde amavit, ut supra p. 26 commemoravimus: 307, 330, 492.

Uno tantum loco ,quodsi' in ratiocinatione invenitur: 132.

Similiter igitur auctor huius carminis ,quodsi' coniunctionem adhibuit ac Lucretius.

Martialis hac coniunctione raro usus est, cf. II 8, 5 = si tamen (II). cf. etiam III 93, 23. (= I.)

Apud Juvenalem ,quodsi' perraro exstat, cf. sat. 2, 43. (= Ia.)

Jam postquam ,quodsi' per ducentos fere annos evanuit, in posteriore latinitate in novam vitam vocatur.

Avienus coniunctione non usus est nisi II 1691: (= I.)

---

[1]) Idem cognoscas in Evang. sec. Matth. 5, 29: „quodsi oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum" = „εἰ δὲ .... σκανδαλίζει σε". Plurimis autem Vulgatae locis ,εἰ δὲ' compositioni respondet ,si autem' copulatio: cf. Matth. 18, 8 „Si autem manus tua vel pes scandalizat te" = „εἰ δὲ ἡ χ .... σκανδαλίζει."

Apud Ausonium ,quodsi' nonnunquam invenitur, velut

Mos. 345: in versus principio } = I a.
Mos. 374: in thesi tertii pedis }

Claudianus praebet coniunctionem novies, ac semper in versus initio.

Plerumque vis advers. sive oppos. apparet: Rufin. II 164; c. m. 22, 50; 26, 95. Rapt. Pros. III 104; III 305. (= II.)

Vim discretivam invenias: Rapt. Pros. III 55.

In ratiocinatione ,quodsi' usurpatur:

c. m. 9, 44; 17, 37; 30. 34. (= I a.)

In Commodiani carminibus ,quodsi' ter invenitur (vi adv. = II): instr. I 25, 7 c. ap. 581, 720. Cf.

c. apol. 719 „Quando pater gaudet, cum sit bonus filius illi;
Quodsi malus fuerit, execretur odio natum."

Respicientibus nobis, qualis fuerit ,quodsi' coniunctionis usus apud poetas, qui post Ovidium fuerunt, apparet eundem fere esse quem in aurea quae vocatur latinitate.

Si summam facimus, de usu atque vi coniunctionis ,quodsi' iudicabimus ita:

I.

a.

In prisca latinitate

illa coniunctio perraro invenitur: apud Plautum uno tantum loco, apud Terentium iam decies, apud Accium semel.

b.

In aurea qu. d. latinitate

increbrescit, ac maxime apud scriptores soluti sermonis invenitur.

Frequentissime a Cicerone usurpatur (plus 300^ies^, orat. 166^ies^, philos. 116^ies^, epist. saepe, multo rarius in rhetoricis); saepe a Caesare (orationum locis 11), Sallustio (septies); perraro obviam fit apud Qu. Ciceronem, auctores belli Africani et belli Alexandrini, Cornelium Nepotem, Varronem, Livium.

Inter poetas hanc coniunctionem valde amaverunt: Lucretius (23^ies^), Propertius (19^ies^), Horatius (15^ies^, imprimis in epistulis); raro obviam fit apud Catullum, Tibullum, Vergilium, Ciris auctorem, Ovidium.

c.

Inde a Livio

,quodsi' paulo rarius invenitur; perraro apparet apud Velleium, Senecam philos., Plinium maiorem, Quintilianum, Plinium minorem, Suetonium, Justinum, Censorinum, Flavium Vopiscum, Charisium;

saepius ,quodsi' obviam fit apud Vitruvium (8^ies^), Celsum, Curtium (7^ies^), Petronium (9^ies^), Tacitum (21^ies^), Frontonem, Apuleium, Gellium, Arnobium, Lactantium, Firmicum Maternum, Vegetium Renatum, Marcellum Empiricum.

Reliquum est, ut pauca de poetarum usu dicamus. Coniunctione perraro usi sunt: Germanicus (bis), Priapeorum auctores, Lucanus, Martialis, Juvenalis, Avienus, Ausonius, Commodianus (ter); paulo saepius Aetnae auctor (septies) et Claudianus (novies).

II.

,Quodsi' coniunctio enuntiationes opponit; ac

I minore vi opponendi
  1. aut aliam rem ab alia distinguit,[1])
  2. aut rem graviorem praecedenti adiungit;[2])

I a in ratiocinatione autem conclusionem qu. d. addit et ex antedictis aliud consequens deducit.[3])

II Maiore vi alteram sententiam praecedenti ita opponit ut id, quod praecedit, tollatur sive reiciatur;[4])

II a imprimis in argumentatione non respondere rationem consequentiae designat.[5])

(Duobus locis fortasse causam inducit.[6])

[1]) A Plauto usque ad infimae latinitatis tempora.
[2]) Apud Horatium, Petronium, Tacitum.
[3]) Inde a Cicerone.
[4]) A prisca latinitate usque ad infimam latinitatem.
[5]) A Cicerone usque ad Plinium minorem.
[6]) Caes. b. G. I 20, 3 et Vitr. p. 6, 10.

Index scriptorum qui tractantur.

Cap. III.

Adversus.

Libri, qui mihi usui fuerunt:

Handii Turs. I p. 178 sequ., Reissinger 1897 p. 53. Fr. Pradel, „De praepositionum in prisca latinitate vi atque usu", Lps. 1901 p. 484. Schmalz, Antibarbarus s. v. Thesaurus l. lat. s. v. Kühner-Stegmann I p. 315 sequ., p. 537, 2, p. 575 sequ. Brugmann, I. F. XXVII p. 234, 241 sequ.

‚adversus' proprie nominativum singularis masculini generis participii perfecti passivi esse iam veteres grammatici intellexerunt:

Priscian. p. 1015 (15, 4, 23) „‚adversus' quoque, quod etiam nominativus est, quomodo ‚nullus' pro ‚minime'."

Cf. etiam

Ursin. Institut. 7, 7 p. 1048 „adversus igitur prima θέσει participium fuit ab ‚adverto'."

Baumgart.-Crus. in Clavi Sueton. p. 113 „proprie ipsum est participium, quod paulatim flecti desiit."

Ille nominativus ita paulatim obriguit, ut non iam pro adiectivo sed pro adverbio vel praepositione haberetur:

I servus domino adversus constitit.

cf. Caes. b. G. III 14, 2 „naves nostris adversae constiterunt."

II servi domino adversus constiterunt.

cf. Nep. XVI 1, 3 „qui adversus resistere auderent." Plaut. Trin. 724 „capturum spolia ibi illum qui [meo] ero adversus venerit."

IIIa servi dominum adversus constiterunt.

cf. Nep. Con. 2, 2 „hunc adversus Pharnabazus habitus est imperator." Sil. 17, 361 „fila sororum adversus."

IIIb servi adversus dominum constiterunt.

cf. Liv. VII 14, 9 „ut adversus montes consisteret hostis." Caes. b. c. I 46, 1 „impetum adversus montem in cohortes faciunt."

I.

Primum igitur ‚adversus‘ verbi advertendi participii perfecti passivi nominativus masculini generis fuit (german. ‚zugewendet‘). Hic nominativus inde a Plauto usque ad infimae latinitatis tempora usitatus est.[1]) cf.

Ps. Sall. rep. I 3, 2 „neque adversus neque ab tergo tutus.“ (Cic. Mil. 29: „adversi raedarium occidunt.“)

Afr. 45, 3 „contra Caesarem .... adversus armatusque consistam?“

cum dat.:

Heges. IV 1, 5 „hosti adversus gradum rettulit.“

(Caes. b. G. III 14, 2 „naves... nostris adversae constiterunt.“ b. Alex. 14, 1 „adversasque naves hostibus constituit.“ b. Alex. 15, 6 „[naves] semper venientibus adversae occurrerunt.“)

Caes. b. G. II 18, 2 „collis nascebatur adversus huic et contrarius.“

II.

Deinde participii nominativus masculini generis paulatim obriguit, ut hoc vocabulo utar; nam cum verbis quibusdam (‚ire‘ ‚venire‘) persaepe ita copulabatur, ut haec copulatio paene pro composito usurparetur (cf. Gloss. adversus milito ἀντιστρατεύομαι.)

Atque eo facilius obriguisse videtur, quod ex antiquissimis temporibus adverbia reperiebantur, quae in easdem litteras exierunt, velut ‚intus‘, ‚subtus‘, ‚penitus‘, ‚funditus‘.[2])

Jam ‚adversus‘ adverbii officio fungebatur.[3]) Sed omnibus fere locis vis primaria apparet. Nam hoc adverbium dicitur de iis, qui ore fronte facie in aliquem, in aliquam partem vertuntur:

---

[1]) v. Thes. s. v. ‚adverto‘.

[2]) v. Brugmann p. 234.

[3]) Praeter hanc formam forma ‚adversum‘, quae proprie nom.-accus. sg. neutr. gen. eiusdem participii est, similiter ac ‚secundum‘ ‚aeternum‘ ‚demum‘ ‚parum‘ (Neue II^3 p. 585 sequ.) iam ex vetustissimis temporibus adverbii locum tenet: cf. Brugmann l. c. De s et m finali: Greef, diss. Gott. 1869 p. 39, Ritschl op. II 262, Thes. s. v.

A. Ac primum quidem de motu eorum:

Most. 897 „at tu mecum .... ito adversus.“ Men. 487 (saepe de servis adversitoribus: cf. Donat. ad Ter. Ad. 27),

B. deinde de derectione (i. qu. ‚ex adverso‘):

Plaut. Amph. 300. Acc. trag. 436.

Vitr. VI 4, 1 „sol occidens adversus habens splendorem.“

Cum igitur notio directionis motusque in aliquam personam vel rem versus adverbio ‚adversus‘ comprehendatur, fieri potuit, ut hoc adverbium etiam in malam partem usurparetur de motu infesto, de pugnando sim., quamquam semper est tenendum in ipso adverbio nihil inimici inesse. Cf.

Plaut. Trin. 724 „capturum spolia ibi illum qui [meo] ero adversus venerit.“

Nep. Ages. 4, 6 „a. arma tulerunt.“ Liv. XXVII 2, 9: Vulg. lev. 26, 24. Translate: Liv. XXXIV 34, 1. Val. Max. VII 7, 2.

Ex ipsa locali notione ea quoque exsistit, qua adverbium ‚adversus‘ comparationi rerum inservit pro ‚contra‘:

Vitr. IX 1, 15 „necesse erit eas (formicas) contra rotae versationem nihilominus adversus itinera perficere.“ X 3, 3 „non in imum sed adversus in altitudinem.“ C. I. L. XIII 5708 II 4 „<quod> ita factum non fuerit adversusve aliquit factum fuerit.“[1])

IIIa.

Post adverbium ‚adversus‘, ubi cum nominibus coniungebatur, prae(post)positionis vicibus fungebatur.[2]) Quod eo modo fiebat, quo multa alia adverbia in praepositionum vim

---

[1]) De usu adverbii ‚adversus‘ cf. etiam p. 39 h. d.

[2]) cf. Brugmann p. 241 „Die Adverbia auf -vorsus -versus sind schon genannt. Bei ihnen bezweifelt wohl heute niemand mehr die Entstehung aus dem Nom. Sing. M. Dazu gehören natürlich auch die vom Adverbium aus weiterhin zur Präposition entwickelten ‚versus‘ ‚adversus‘.“

abierunt.[1]) Ac sine dubio haec praepositio antiquissimis temporibus post nomina posita erat.[2]).

Cuius usus residua invenias locis his:

Plaut. Amph. 750 „mirum quin te adversus dicat", Aul. 690, Bacch. 137, 698; Pers. 200, Poen. 400, Rud. 1348: apud Plautum igitur septies, postea perraro: Ter. Phorm. 427, Titin. 65, Nep. IX 2, 2; XIII 4, 3; Sall. Iug. 101, 8; H. 2, 71; Hor. ep. I, 75 Dict. 2, 13. 12. 3, 5. 4, 3 Heges. I 1, 3. V 4, 4 Schol. Cic. Gr. 444, 44, atque omnibus locis pronominibus postponitur; uno tantum loco (in latinitate posteriore) post substantivum invenitur: Sil. 17, 361 „nil fila sororum adversus posco."

III b.

Postremo ‚adversus' praepositio nominibus praemissa est:

Vitr. VIII 6, 5 „cum venerit aqua adversus clivum." Sen. nat. II 1, 5 „quomodo terra adversus sidera caelumque posita sit." Plin. n. h. 3, 87 „promunturium Pelorum .... adversus Scyllam vergens in Italiam."

Sed mitto de vi atque usu praepositionis accuratius disputare, quoniam multi viri docti hanc rem copiose tractaverunt.[3])

Nunc explicabo, quo tempore ‚adversus' (nomin. partic.) quasi obriguerit. Atque iam antiquis temporibus casum non intellectum esse ex hoc XII. tabularum fragmento dilucide perspicias:

Cic. off. I 37 „Indicant duodecim tabulae: ‚adversus hostem aeterna auctoritas.'" Sed postea primariam vim interdum intellectam esse (praesertim cum praeter adverbium et praepositionem nominativus participii usque ad infimae latinitatis tempora (v. p. 36) saepe usurparetur), fortasse ex

[1]) Omnes fere praepositiones initio nihil aliud quam adverbia localia fuisse praeclare docuerunt C. Wittmann, Schweinfurt 1840. Graßmann, Ursprung der Präpositionen im Idg, K Z 23, 559 sequ. Egregie Brugmann „Grundriß" II [2] 2.

[2]) De postpositione praepositionum cf. Degering, „Beiträge zur historischen Syntax der lateinischen Sprache", Erlangen 1893, Brugmann „Grundriß" II [2] 2 p. 778.

[3]) cf. Hand. Turs.; Greef „De praepositionum usu apud Tacitum" diss. Gott. 1869 p. 39 sequ., Pradel p. 484, Thes. s. v. Kühner-Stegm. II 1 p. 537 sequ.

illo loco Catulliano (c. 51, 3) colligas: „qui sedens adversus identidem te spectat et audit." Nam hic ‚adversus' Graeco ‚ἐναντίος' respondet. Cf.

Cels. 3, 6, 8 „ob quam causam medicus neque in tenebris neque a capite aegri debet residere, sed illustri loco adversus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perspiciat."

Ac participium ‚adversus' primum in adverbii vim abisse et praepositionem ab ipso adverbio profectam esse ex veterum quoque scriptorum ratione elucere mihi videtur. Apud Plautum enim adverbium locis 28 invenitur (praepos. locis 35), apud Terentium autem adverbium iam uno tantum loco obviam fit (praepos. sexies), apud Catonem adverbium deest (praepositio autem saepe exstat). [Inde a Catone adverbium perraro[1]) usurpatur: Apud Livium ter, Vitr. ter, C. I. L. XIII 5708 II 4, Val. Max. semel, Sen. semel, Dict. quater, Vulg. lev. semel; praepositio autem usque ad infimae latinitatis tempora creberrime invenitur.]

Appendix.

Quoniam consideravimus, quomodo voces ‚pondo' ‚quodsi' ‚adversus' quasi obriguerint, nobis in animo est cetera indeclinabilia, quae initio nominum vel pronominum casus fuerunt, enumerare. Atque ordiamur ab iis indeclinabilibus, quae olim

Nominativi

fuerunt.

I.

Adiectiva (vel participia), quae propterea quod a substantivis, quibus attributa erant, paulatim seiungebantur et cum verbis copulabantur, in adverbiorum vim abierunt.[2])

Hoc eo modo fiebat, quo ‚adversus' (nominat. participii) in adverbii vim abiit.

[1]) falso Friedrich ad Cat. 51, 3 „Entscheidend ist, daß ‚contra' auch sonst als Adverb vorkommt, aber ‚adversus' **nie**."

[2]) cf. K. Brugmann „Adverbia aus dem maskulinischen Nominativus Singularis prädikativer Adjektiva". I. F. XXVII p. 233 sequ.

a.

versus

‚gewendet', verbi vertendi partic. perf. cf. Neue II^{3} p. 780 sequ. (Stolz-)Schmalz Lat. Gramm.^{4}

exadversus: Neue II^{3} p. 770, Hamp Arch. V p. 348

prorsus ex *pró-u̯orsos

rursus ex *ré-u̯orsos, cf. Sommer Hdb. p. 158.

b.

vāricus.

Apud Ovidium adiectivum ‚vāricus' invenitur:

a. a. 303 „illa velut coniunx Umbri rubicunda mariti ambulat ingentis. varica fertque gradus."

Uno tantum loco, Apul. Met. 1, 13, adverbii locum tenet: „his editis <antequam> abeant remoto grabattulo varicus super faciem meam residentes vesicam exonerant."

De hoc vocabulo cf. Delbrück Grdr. 3, 628, Vanicek 56, Brugmann I. F. 27, 242.

c.

deinceps.

ex *deinde-capo-s: Vanicek 49, Brugmann Grdr. II^{2}2 p. 107.

Hanc formam olim adiectivum fuisse docet

Fest. p. 75 „deincipem antiqui dicebant proximo quemque captum, ut principem primum captum." Cf. p. 71 „deinceps qui deinde coepit, ut princeps qui primum coepit."

Huius rei vel illustrissimum exemplum invenias hoc legis repetund. loco (C. I. L. I 198) 72 „iudex deinceps faciat pr<incipe cessante, item quaestor>."

Inde a Varrone hic nominativus adverbii vim obtinuit. Cf.

Varr. l. L. 5, 75 „haec deinceps videamus."

Colum. I 6, 21 „circa villam deinceps haec esse oportebit."

Ab Apuleio, qui primarium huius vocabuli usum cognovisse videtur, adiectivum male novatum est ad vocabulorum ‚praeceps' ‚anceps' analogiam:

Apul. flor. 16 p. 64 „sine intermissione deincipite die perlecturum. postridie... ingens hominum frequentia convenere."

Similiter adiectivum

praeceps (‚kopfüber') obriguit; nam in posteriore latinitate adverbii loco usurpabatur, velut

Tac. ann. 6, 17 „praeceps in exilium acti." Cf. C. F. W. Müller, Synt. des Nom. u. Akk. p. 85, K. Brugmann I. F. XXVII p. 250.

d.

recens.

Adiectivum cognoscas:

Varr. R. R. III 12, 4 „fit enim saepe, cum habent catulos recentes." Caes. b. G. 1, 14 „num etiam recentium iniuriarum memoriam deponere posse?"

Sed iam apud Plautum adverbium invenitur:

Cist. 136, „puerum recens natum". Ac plerumque participio perfecti passivi copulabatur: (v. Wölfflin, Rh. Mus. XXXVII 112, Neue II^{3} 592) velut

Verg. Georg. 3, 155 „sole recens orto." Ad. h. l. cf.

Prisc. XVII 10, 69 „nec mirum, eandem vocem mutatione significationis ad aliam speciem transire, cum soleat diversa significatio easdem voces etiam ad alias partes transferre, ut nomina in adverbia: ‚sole recens orto' pro ‚recenter'.

Hoc adiectivum eo facilius obriguisse videtur, quod ex antiquissimis temporibus adverbia exstabant, quae in easdem litteras exierunt, velut totiens, quotiens.

Fortasse etiam hae formae huc referendae sunt:

trans

verbi (in-) trandi partic. praesentis: Thielmann, A. l. L. IV 247, 358. Lindsay-Nohl 683, Walde s. v.

secus

*seq^{u}us, nominativus masc. gen. participii perfecti:

Brugmann, Ind. Anz. XXII 9, Walde s. v., Hermann Berl. Phil. Woch. 1915, 1608.

damnas.

e ‚damnatu-s' (per syncopam), si vera sunt, quae F. Muller Izn. affert (Glotta IX 1918 p. 183 sequ.) contra Brugmannum, qui I. F. XXXIV 397 sequ. ‚damnas' substantivum aeque ac satiatis quietis nomina formatum explicat.

Hunc nominativum singularis plane obriguisse ex his exemplis apparet:

Scaev. Dig. 32, 34 § 1 „Titio filio meo nomina ex calendario, quae elegerit filius meus sibi, viginti dare damnas sunto sine dolo malo."

Paul. Dig. 30, 122 § 1 „Lucius Titius et Gaius Seius Publio Maevio decem dare damnas sunto."

II.

Deinceps dicatur de substantivis, quae, cum per verbi ellipsin usurparentur, paulatim ita obriguerunt, ut in adverbiorum vim abirent. Grammatici[1]) haec adverbia suo vocabulo ‚enuntiationum fragmenta' nominant.

fors

(cf. ‚forsit' ex fors sit et ‚forsitan' ex fors sit an).

Illum substantivum adverbii[2]) vicibus functum esse ex his exemplis cognoscas:

Verg. Aen. 12, 183:

„cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
convenit Euandri victos discedere ad urbem."

i. e.: si victoria Turno cesserit, — fors sit —, convenit discedere „wenn der Sieg dem Turnus zufällt, — es könnte der Zufall ergeben —, müssen wir weichen." Cf.

Aen. 5, 232 sequ.:

„et fors aequatis cepissent praemia rostris,
ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus
fudissetque preces divosque in vota vocasset."

Cf. etiam Val. Flacc. 3, 665; Tertull. ad uxor. 2, 2, egregie Hand. Turs. II s. v.

verum.[3])

Pristinam vim invenias:

Plaut. Poen. 402 sequ.

„nam detinet nos de nostro negotio.
Verum (scil. est) .etiam tibi hanc amittam noxiam unam."

---

[1]) velut K. Brugmann, I. F. XXVII p. 252.

[2]) Prisc. p. 1015 (15, 4, 23) „Similiter fors, quum sit nominativus, accipitur pro adverbio."

[3]) cf. Kühner-Stegm. II 2 p. 79.

Ter. Eun. 346 sequ.

„Comites secuti scilicet sunt virginem?
Verum: parasitus cum ancilla."

cf. praeterea Haut. 1013; Ad. 543.

Ex ‚verum' adiectivo fit particula adversativa. Hanc particulam iam apud Plautum invenias:

Amph. 484 „eorum Amphitruonis alter est, alter Jovis; verum minori puero maior est pater, minor minori."

Similiter obriguerunt hae substantivi cum particula compositiones:

nudius.

Charis. 1, 15 p. 62 (81, 28) „Nudius tertius hoc significat: nunc est dies[1]) tertius, item nudius quartus." Cf.

Cic. Att. 14, 11 „Nudius tertius dedi ad te epistolam" =
„Es ist jetzt der dritte Tag, seitdem ich Dir schrieb"
„Vorgestern habe ich Dir geschrieben."

Hanc compositionem plane obriguisse ex his exemplis apparet:

Phil. 5, 1 „Recordamini, qui dies nudius tertius decimus fuerit." Vulg. Interpr. Act. 10, 30 „A nudius quarta die usque ad hanc horam."

nimirum.

Donat. ad Ter. Eun. 508 „Solve ‚nimirum' et fac ‚non est mirum': nam ‚ni' ne significat et ‚ne' non." cf.

Eun. 508:

„Profecto quanto magis magisque cogito,
Ni mirum dabit haec Thais mihi magnum malum."

Etiam ‚quotannis' in hoc numero referendum est: v. p. 49.

III.

Alio modo nonnulla numeralia obriguerunt, velut

duo.

*duu̯ō(u), *du̯ō(u), dualis forma, quae in lingua Latina (aeque ac gr. δύο) ex aliorum numeralium velut ‚quinque' ‚sex' analogia saepe non declinabatur:

---

[1]) ‚dius' est prisca nominativi forma = ind. dyauḥ ‚Tag, Himmel' gr. Ζεύς ex *Ζηυς, idg. *diēus ‚Tag': cf. Solmsen, Studien, 73 sequ.

Avien. Arat. 1535 „duo lunae;“ Vitr. II 5, 1 „duo harenae“; Vitr. X 17, 5 „modioli foraminum duo“; Labeo Dig. XIV 2, 10 § 2, amphorarum duo milium.“ C. I. L. X 7658 mensibus duo“; C. I. L. VI 2785 „annis duo.“
cf. Neue II³ p. 277 sequ. Sommer Hdb. 465.

mille

olim substantivi nominativus sg. (neutrius[1]) generis, similiter ac ‚milia‘?) fuisse videtur: cf.

Quadrigar. (fr. 44 P.) „ibi occiditur mille hominum.“ (Lucil. IX 65 M. 273 B.: „tu milli nummum potes uno quaerere centum.“) Sed etiam in aurea qu. d. latinitate hoc numerale nonnunquam substantivi munere fungitur: Cic. Att. IV 17, 7 (= 16, 14) „ut mille passuum conficiatur;“ pro Mil. 53; Phil. 6, 15; de quibus locis recte iudicavit Gell. N. A. I 16. Cf.

Jac. Wackernagel „Vorlesungen über Syntax“, Basel 1920. p. 104.

Veniamus nunc ad indeclinabilia, quae olim

Genetivi

fuerunt. Nescio an

nox

antiqua genetivi forma fuerit (ex *noct-es vel *noct-os[2]), gr. νυκτός, nostro ‚nachts‘ respondens; nam in prisca latinitate nonnunquam adverbii locum tenet: Lex XII tab. (fragm. VIII 11 ed. Schoell) apud Macrob. Saturn. I 4, 19 „Si nox furtum factum sit, si im occisit, iure caesus esto.“

Enn. ann. 431 (Vahlen, 439 Müller) „Si luci, si nox, si mox, si iam data sit frux.“

Plaut. Asin. 598 „Quo nunc abis? quin tu hic manes? Nox si voles manebo.“

Dativi.

frugi

dativi formam esse ex his priscorum poetarum locis elucet:

Ter. Eun. 608 „frugi es“. cf. Heaut. 597, imprimis

[1]) Sommer I. F. X 216 sequ.: nomin. sg. femin. gen.: * smī̆ + *ĝhsl-ī = ‚eine Tausendheit‘. (?)

[2]) Solmsen Stud. 192, Brugmann Grdr. II² 2, 574, Sommer Hdb. 372.

Plaut. Capt. 957 „ne spem ponas umquam me bonae frugi fore“; Cas. 327: „Credo edepol esse, siquidem tu frugi bonae's.“

Sed haec dativi forma ita obriguit, ut in adiectivi vim abiret et eodem fere modo usurparetur quo ‚bonus‘ ‚utilis‘:

Brut. ad Cic. ep. 6 „Modestus homo et frugi.“

Hor. Sat. II 5, 77 „Mulier tam frugi tamque pudica.“

Cf. Neue I³ p. 739, Sommer Hdb. 407.

Accusativi.

I.

Adiectiva et pronomina, quae per substantivi ellipsin usurpabantur.

a.

Adiectivorum et pronominum accusativi sg. mascul. gen.

tum

accus. pronominis dem. *to-, = gr. τόν,

cum, quo-m,

accus. pronominis rel. quo-.

Intellegebantur accusativi temporis, velut ‚diem‘ ‚annum‘: tum (diem), cum‘ = ‚an dem (Tage), an welchem.‘

Cf. F. Skutsch, Glotta I p. 303 sequ., Bopp, V. Gr. § 1014, Pott Et. F. II p. 840 sequ., Walde s. v. ‚quom‘.

b.

Accus. sg. femin. gen.

tam (scil. partem, viam)

accus. pron. dem. *to: Corssen, Beitr. p. 272 — 279, Lindsay-Nohl 691, Skutsch Glotta I p. 303 sequ.

quam

accus. pron. rel. *quo-

Similiter adverbia in — am exeuntia, velut ‚perperam‘ ‚promiscam‘ (Neue II³ p. 516 sequ.) obriguisse videntur.

c.

Accus. plur. femin. gen.

aliās, alterās, utrāsque (sc. vices):

cf. Lindsay-Nohl 640, Neue II³ p. 596, Brugmann Grdr. II² 2, 252, 688.

II.

Alio modo obriguerunt nonnulla pronomina interrogativa:

quia

accus. pl. neutr. pronominis interrog. (Lindsay-Nohl 701).

Vim primariam cognoscas

Plaut. Cas. 227[1]) „uxor me excruciat, quia vivit."

Hoc enim loco ‚quia' particula, quae ad praecedentem sententiam spectat, causam praemissae affirmationis affert; qui loquitur ipse orationem suam interrumpit, cum interrogat ‚warum?' et sibi responsum dat. Similiter ex

quippe

(quid-pe) interroganti particula affirmativa orta esse videtur (Stolz H. G. I 310, Schmalz 350, Lerche ‚de quippe particula', Bresl. phil. Abh. 41 [1909].)

Particulam interrogativam invenias:

Plaut. Amph. 37

„Nam iniusta ab iustis impetrari non decet,
Iusta autem ab iniustis petere insipientiast:
Quippe? illi iniqui ius ignorant neque tenent."

Amph. 22

„Pater huc me misit ad vos oratum meus
Tametsi pro imperio vobis quod dictum foret
Scibat facturos: quippe? qui intellexerat
Vereri vos se et metuere, ita ut aequomst Jovem."

cf. Lerche p. 18 sequ.

In aurea qu. d. latinitate ‚quippe' semper particulae confirmativae vicibus fungitur: cf.

Cic. pro Mur. 74 „Ergo, ad cenam petitionis causa si quis vocat, condemnetur? ‚Quippe', inquit; ‚tu mihi' summum imperium, summam auctoritatem, tu gubernacula rei publicae petas fovendis hominum sensibus et deliniendis animis et adhibendis voluptatibus?"

Eodem fere modo ex ‚quippini' ‚quiapropter' ‚quianam' particulis interrogativis factae sunt particulae confirmativae (cf. Wackernagel, Vermischte Beiträge zur griech. Sprachkunde, Basel 1897 p. 20, (de quippini particula:) Langen, Beitr. zur Kritik des Plautus p. 123).

[1]) cf. W. Kroll, Die wissenschaftliche Syntax im lateinischen Unterricht, 1917 p. 63.

III.

Quomodo quod

nom. acc. n. pronominis rel. in coniunctionis vim abisset, praeclare demonstraverunt Schmalz, p. 539, Cl. Otto ‚de epexegeseos in Latinorum scriptis usu', Münster 1912 p. 66, Lejay Rev. de Phil. 36 p. 259, W. Kroll ‚Wiss. Synt. im lat. Unterricht' p. 60 sequ.

IV.

Substantiva, quae in adverbiorum (vel praepositionum) vim abierunt:

a.

foras[1])

referendum est inter accusativos, qui motum ad locum notant, (velut ‚domum' ‚rus'): ‚zur Tür hinaus' (cf. θύραζε ex *θύρας-δε): Plaut. Cas. 212 „Ei foras mulier." Ter. Eun. 668 „Exi foras, sceleste." Hec. 733 „Quid sit quapropter te huc foras puerum evocare iussi."

In posteriore latinitate adverbium in praepositionis vim abiit: de ‚foras' praepositione cf. Brall, p. 7 sequ.

b.

circum.

Hanc praepositionem initio accusativum vocis ‚circus' fuisse ostendit Wölfflin, Arch. V p. 295 sequ. (cf. Skutsch Rh. Mus. 1906 p. 613).

c.

partim,

antiqua accusativi forma (Sommer, Hdb. 374), quae propterea quod persaepe epexegeseos loco alio substantivo addebatur,[2]) paulatim obriguit. Similiter obriguisse videtur

vicem (accusat. vocabuli *vicis): Brugmann, II [2] 2 p. 685.

[1]) cf. J. Heckmann, I. F. 18, 306. E. Brall, „Lat. foris, foras im Galloromanischen", Berlin 1918.

[2]) cf. Liv. XXI 21, 13 „has copias partim Carthagini praesidio esse, partim distribui per Africam iubet."

Vocativi.

Antiqua vocativi forma est

macte:

Cat. R. R. 132, 2 „Juppiter dapalis, macte istace dape pollucenda esto.“ (Alia exempla affert Neue II[3] 178.)

Hunc vocativum postea in adverbii vim abisse ex his fere exemplis intellegas:

Liv. VII 36, 5 „macte virtute, milites Romani, este.“

Liv. II 12, 14 „iuberem macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret.“

De hac forma praeclare disseruit R. Wünsch, Rh. Mus. 69, 127.

Ablativi.

I.

Adiectiva et pronomina, quae propterea, quod per substantivi ellipsin usurpabantur, ita obriguerunt, ut in adverbiorum vel praepositionum vim abirent: velut ablat. sg.:

aliā (sc. viā, parte), aliquā, alternā (sc. vice), dext(e)ra (sc. manu), inf(e)rā (sc. parte): cf. Neue II [3] p. 633.

ablat. plur.:

alternīs (sc. vicibus).

II.

Substantiva, quae in praepositionum vim abierunt:

fine(i).

fine (fini) praepositio ab ablativo vocabuli finis separari non potest.

Vim primariam cognoscas

Plaut. Men. 859 „osse fini dedolabo assulatim viscera“; Cat. R. R. 31, 2 „operito terra radicibus fini: „the bone being the limit“, „with the roots as limit“: Lindsay, Synt. of Plaut. p. 34.

His igitur locis ‚fini‘ ablativi absoluti munere fungitur.

Postea in praepositionis vim abiit (et plerumque cum genetivo iunctum est):

Lucr. 4, 627 „deinde voluptas est e suco fine palati (soweit der Gaumen reicht).

Cat. R. R. 113, 2 „Amphoras nolito inplere nimium, ansarum infimarum fini“ (= usque ad inf. ansas).

Cf. Neue I [3] p. 338 sequ., Wölfflin A. l. L. I p. 424, 580.

foris.

Vis primaria[1]) intellegitur:

Plaut. Most. 405 „Hasce ego aedis occludam hinc foris“, Asin. 319 „ne quaeram foris“, Bacch. 648 „Ut domo sumeret neu foris quaereret.“

In posteriore latinitate ablativus ‚foris‘ plane obriguit ita ut non modo in adverbii sed etiam in praepositionis vim abiret. De ‚foris‘ praepositione cf. Rönsch, Semas. Beitr. II 69, v. d. Vliet A. l. L. X 386 sequ.

III.

Substantivi cum particula compositio

quotannis.

Haec compositio, quae proprie ‚enuntiationis fragmentum‘ est (quot anni sc. sunt)[2]), eodem fere modo quo ‚fors‘ ‚nimirum‘ ‚nudius‘ obriguit.

Locativi.

Inter locativos fortasse

penes

referendum est: loc. vocis penus, oris ‚das Innere‘, = im Hausinnern, cf. Delbrück I 774, Hirt A. l. L. IV 88, 389; Vanicek 145 (: pen-etro, pen-itus).

---

[1]) cf. J. Heckmann, I. F. 18, 306. Brall, p. 1 sequ.

[2]) ad vocum ‚his annis‘ analogiam formata.

Vocabulorum quae tractantur conspectus.

Vita.

Natus sum Ericus Hartlieb Vratislaviae anno 1899 die XXXI mensis Januarii, patre Paulo, matre Thekla, e gente Foerster, quos ambos adhuc inter vivos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis litteris imbutus gymnasium Johanneum Vratislaviense adii, ubi vere a. 1917 maturitatis testimonium sum adeptus. Deinde almam matrem Viadrinam petivi, ut studiis antiquitatis me darem. Aestate a. 1918 gymnasio Elisabetano Vratislaviensi addictus per tres menses praeceptoris munere functus sum. Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner, Cichy, Dietrich, Foerster, Gercke, Holtzmann, Hönigswald, Kornemann, Jos. Kroll, Guil. Kroll, Kühnemann, Lehmann, Miller, Obst, Otto, Schneider, Schrader, Stenzel, Stimming, Volz, Weege, Ziegler, Ziekursch.

Quibus omnibus viris gratias ago quam maximas, imprimis autem Guilelmo Kroll, quo auctore et rectore hanc dissertationem conscripsi.


COLUMBIA UNIVERSITY
0026051893

